

Sit enim sphæra B D C E, cuius centrum A. Æquator D E, axis mundi B C, & terra in F, siue supra axe mundi, siue infra, Horizon rectus G H, qui parallelus erit axi B C, cum æquator ad rectos insistat angulos Horizonti recto. Perspicuum igitur est, tam Æquatorem, quam reliquos parallelos Solis inæqualiter ab Horizonte recto diuidi, cum non transeat per centrum, aut polos mundi; Quare perpetuo fient dies inæquales noctibus; quod est contra omnem experientiam, cum in sphæra recta perpetuum sit æquinoctium.

SECVNDO, *Nullus videret medietatem cœli, sed partem minorem, vel maiorem medietate, vt eadem figura indicat; quod etiam sensui aduersatur: Semper etenim sunt sex signa supra Horizontem, & sex infra.*

TERTIO, *Eædem stellæ tempore sereno non apparerent semper eiusdem magnitudinis. Si enim terra est in Æquinoctialis circuli plano, & extra axem mundi versus meridiem, apparebunt stellæ eædem maiores in Meridiano circulo constitutæ, quam in oriente, vel occidente, cum ibi propinquiores existant: Si vero vergit ad mediam noctem, maiores conspicientur in oriente, vel occidente collocatæ, quam in Meridiano circulo: Si autem sita est versus ortum, vel occasum, maiores videbuntur positæ in occidente quoque vel oriente. Quæ omnia pugnant cum experientia. Accedit etiam, quod hoc posteriori modo tepus ante meridianum minime æquale erit pomeridiano; propterea quod Meridianus*